



Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni
magni ad trigesimum ...

Christopherson, John

[Köln], 1569

Quinam episcopi illo tempore clauerunt. Cap. XIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29861

EVSEBII HISTORIAE

Quinam episcopi illo tempore clauerunt.

CAP. XIII.

Eodem tempore Xystus Romanam adhuc rexit ecclesiam: Antiochenam autē post Fabium, Demetrianus: Caesariensem Cappadociae Firmilianus. Ecclesiis porro in ponto praefuerunt Gregorius, & eius frater Athenodorus, Origenis discipuli. Caesareae Palaestinae, defuncto Theoctisto, Doninus capit episcopatum: exiguo temporis interuallo interposito, cū iste discessisset à vita, Theotecnus, qui nostra aetate vixerit, successor in eius locum locatur. Iste etiā in Origenis schola educatus fuit. Quinetiam Mazabane morte confopito, Hymenaus, qui multis annis, nostro hoc aevi curriculo, magna cum laude vixerit, Hierosolymitani episcopatus sedem obtinuit.

*Quomodo Marinus apud Caesariam martyrium passus sit,
& de historia Astirii, & de miraculis magnificentie Seruatoris nostri apud Paneadem,
& de throno Iacobi fratris Domini.*

CAP. XIII.

Iisdem temporibus, cum pax in ecclesiis vbique vigeret, Marinus vnus ex his, qui in exercitu Romano magnam decus & honorem fuissent consecuti, vir & genere illustris, & diuitiis locuples, propter testimonium Christi, Caesareae Palaestinae de causa capite damnatus fuit. Est quidam honos apud Romanos, qui κληματα appellatur: quem qui adipiscantur, eos Centuriones fieri aiunt. Cū locus vacaret, ordo postulabat, vt Marinus eo dignitatis gradu potiretur. Marinum igitur ad hunc honorem elatum, alius pro tribunali comparens, in crimen vocat, tum quod erat Christianus, tum quod imperatoribus non immolauit: ac propterea, inquit, ex veterum legum institutis, illi non licet eum dignitatis gradum apud Romanos adipisci, sed illud, quicquid est muneris, mihi iure impertiri debet. vnde iudex commotus (Achuius hic erat genere) primo sciscitatus est, cuiusnam sententiae & religionis esset Marius. Quem vt animaduertit, constanter se Christianum esse confitentem,

trium